Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1021
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 37. incipiunt Αυτογραφα varia *Friderici Nauseae* Theologi Catholici tempore *Ferdinandi I.* Imp. percelebris et *Joh. Fabri* συμμαχȣ, inque Episcopatu *Vien.* successoris, quam sedem a. 1552. *Tridenti* in Concilio agens morte deseruit. Ea ordine, quo scripta sunt, percurremus. Sermo inscriptus: *In die Assumptionis sacrosanctę Theothocos Virginis Marie Anno* 1529. Thema: *Salue regina misericordię, vita, dulcedo* &c. Notata in illud *Joh.* 3. *Sic deus dilexit mundum* &c. Et in illud *Luc.* 1. *Sicut locutus est ad patres nostros* &c. Sermo *In festo Diuę Magdalenę.* 1530. In illud: *Non veni vocare iustos* &c. *Luc.* 5. Expositio *Cap.* 6. *Epist. ad Rom.* a verbis: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*, usque ad finem. Praenotatum: *dominica 7ª post penthecosten.* Sermo imperfectus: *In Natiuitate Virginis gloriosissimę deiparę Marię.* Homiliae V. de vera Christiani Hominis Institutione. Praeeunt: *Pro domino Remigio Buchlerio ecclesię collegiatę in Baden Canonico admodum Venerabili. Ad Christi Seruatoris nostri Genitricis huiusque elucubratiunculę Amatorem sincerum* Disticha 8. quorum initium:

Spectator dominam coeli terręque saluta
Et dic vt dixit nuncius almus Aue. &c.

Distichis his non infelicibus succedit Epistola: *Fridericus Groe* (en patrium Viri nomen propria ejus manu scriptum a germanico *Grauen* et dialecto Sax. infer. *Grouwen*, unde adfectatione Eruditorum ejus aevi in *Nauseam* migravit) *Imperialis insignisque ecclesię Spirensis concionator honorabili suoque charissimo domino Remigio Buchlerio illustris principis Philippi Marchionis Badensis Sacellano S. D.* Incipit: *Optaueras nuper — ex me doctrinam non ex Aegypto Siriaue sed ex ipso admigratam cęlo, legem videlicet christi admirabile philosophię genus* &c. Itaque mittit illi *manu sua hos Sermones e suggesto Spirensis Ecclesię iam diuulgatos. Ex Nemeti ipsis idibus Augusti 1529.* Homiliis adnexum est: *Ad Christum nostre Salutis Autorem Hexastichon*, quod referam:

Qui sensus et corda dedit: cui conuenit uni
Factiuram seruire suam: cui iure perenni
Arcibus æthereis vna est cum patre potestas:
Par splendor: communis apex: sociale cacumen:
Aequus honor: virtus eadem: sine tempore regnum:
Semper principium: sceptrum iuge: gloria consors.

Tum